

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7545

Auteur(s) : Arnoul, Lisieux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Eugène III [pape]

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : ...1150...

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Lettre d'Arnoul, évêque de Lisieux, au pape Eugène III.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Un grand bâtisseur : Philippe de Harcourt, évêque de Bayeux (1142-1163)*, Paris, Naert, 1930, Pièces justificatives, n° XXI, p. 151-152.

Dissertation critique

Datation proposée par V. Bourrienne.

Texte établi d'après a

«Philippum, Bajocensem episcopum, rebus Normannicis ad repellendam malignantium insolentiam perneccarium, ad ecclesiam suam remitti postulat.»

Petitionem Bajocensis ecclesiae de revocatione episcopi sui debita devotione prosequimur, preces nostras precibus eorum apud misericordiam vestram humiliter adjungentes. Supplicat cum eis quisquis antiqua ecclesiae detrimenta cognovit, quam ille de pulvere paupertatis et dejectionis erectam, de paupere divitem, de contemptibili venerabilem, de ignobili reddidit gloriosam. In quibus sane perficiendis quisquis laborem ejus industriamque perspexerit, probabit tum in executione prudentiam, tum magnificentiam in effectu. Testatur hoc aedificiorum reparatio, revocatio possessionum, et antiquae restauratio dignitatis, quam in conculcationem dederat malignitas et potentia perversorum. Exultabunt igitur illi, si migraverit is quo debellante dejecti sunt, jamque manus avidas reparant ad rapinam, qui licentius consueverant in jura ecclesiae malignari. Quia igitur filii et fideles ecclesiae imminencia jam sibi detrimenta praesentiunt, ad discretionis et misericordiae vestrae subsidium singulare concurrunt, ut ad conservanda quae collegit suum episcopum eis remittatis: homo enim consilii et fortitudinis est, potens in opere et sermone, in regalibus consiliis et negotiis ecclesiasticis acceptus et efficax, plurimumque tam ipsi archiepiscopo, quam omnibus provincialibus episcopis necessarius ad reprimendam et repellendam ab ecclesia Dei insolentiam malignorum. Desideratur autem regressus ejus ab his qui in terra prudentiores sunt, et si quis adversus eum furtiva malignitate submurmurat, non tam charitate quam invidia, nec tantum delictis ejus quantum suspecta magnificentia commovetur. Dominus personam vestram Ecclesiae per tempora multa conservet incolumem.